



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

C. 12. Circa Consecrationis formam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)

Seccio II. De Eucharistiâ, Problemata. 51

tiatur, est tamen signum de se sensibile oculo beato, cum habeat colorem, & quantitatem, aut tactu tenetur, vel certe intellectu demonstrari prædictu tenetur, & videtur potest. Adest enim Christi corpus indivisibiliter totum sub qualibet particula specierum panis, aut vini. Sic Henric. lib. 8. c. 14. n. 4. Sotus in 4. dist. 9. q. vni. a. 1. Valent. d. 6. q. 2. punct. 2.

213 Consecrari non potest, si ob sui parvitatem sensibilis non sit. Quia sola illa materia, quæ aliquo sensu, siue visu, siue tactu, siue odoratu percipi valet, potest per pronomen *Hoc*, vel *Hic* demonstrari. Ergo sola illa demonstrabilis consecrabilis est. Ita Suarez. d. 43. sect. 8. Vasq. d. 17. Hurtad. d. 2. diff. 18. Card. de Lugo d. 4. n. 120. Granad. tr. 2. d. 7. m. 1.

214 Cum his opinor, asserens omnem quantumvis minutissimam particulam panis, aut vini quæ præsentia possit, consecrabilis esse: quæ autem nequit præsentia materia consecrationi minime exhibere. Sententiâ verò P. Henric. non improbo, sed nimium metaphysicâ, & in praxi impossibilē reor.

CAPVT XII.

Circa Consecrationis formam.

PROBL. XXXII.

Verba consecrationis dicuntur, & non dicuntur recitatiue tantum & materialiter.

215 **R**ECITATIVE seu materialiter dicitur, quod refertur tanquam ab alio dictum, ut contingit, quando aliorum verba refertimus. Enunciatiue seu formaliter aliquid dictum, quando per verba, quæ proferimus, aliquid intendimus affirmare, vel negare. Quæstio igitur nûm Sacerdos verba consecrationis proferat recitando, an enunciando? Prædicta verba Sacerdos recitatiue tantum, seu materialiter profert, non enunciatiue. Vnde nulla alia in illis querenda veritas, nisi, quod Christus talia verba protulerit. Quia Sacerdos non posset enunciatiue verè dicere, *Hoc est corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei*. Cum nullatenus sit corpus Sacerdotis, nec sanguis profundendus sed Christi. Sic Innocent. III. l. 4. de Missa, c. 17. Durand. Maior, Catherin. quos refert, & sequitur Salmeron. ro. 9. r. 13.

216 Sacerdos consecrationis verba non recitando sed enunciando profert, etsi priora verba Canonis visque ad illud verbum, *Dicens*, materialiter, & narratiue protulerit. Quia Florentinum dicit Sacerdotem in persona Christi loquentem consecrare Sacramentum istud. Et quia si verba capiantur recitatiue solum, sequeretur, per illa verba solum *Hoc est corpus meum* non consecrari panem, nam ut sic non dicuntur recitatiue, nisi addatur Christum illa dixisse. Consequens autem licet quidam admittant, durissimum videtur nam inde fieri, illa verba non esse totam formam, sed illa cum antecedentibus, ita ut verba priora sint etiam pars formæ, quod non est admittendum. Ita Bonau. Mar. Gab. & alij quos sequitur Vasq. d. 200. c. 2.

217 Ego quidem affirmo, recitatiue simul, & enunciatiue consecrationis verba proferri. Quia forma *Esco. & Mend. Theol. Moral. T. III.*

ma Sacramentorum iuxta præsentem institutionem significant, quod efficiunt: & efficiunt, quod significant. Ut ergo forma consecrationis efficiat quod significat, scilicet conuersionem panis in corpus Christi, debet non solum recitando, sed etiam enunciando proferri. Patet consequentia, quia si verba consecrationis recitatiue solum proferrentur, Sacerdos consecrans solum affirmaret, Christum illa verba dixisse, quod verum esset, etsi per impossibile nunquam fuisset Christus sub speciebus. Confirmo, quia Trident. sess. 13. cap. 2. dicit, sub singulis speciebus esse quædam ex vi verborum, quæ scilicet per verba formæ præcisè significantur ibi realiter adesse, quod tamen esset falsum, si forma solum recitatiue diceretur; nihil enim circa præsentem materiam affirmaret, ideoque vera foret, etsi nulla fieret conuersio, quod est absurdum. Sentio cum Bellarmino, Nuño, Valentia, quos sequitur Bonacin. d. 4. q. 3. m. 3. Suarez. d. 58. sect. 4. Henric. lib. 8. c. 18. n. 1. Coninch. q. 78. num. 21. Card. de Lugo dist. 11. sect. 5. Martinon d. 33. num. 28.

PROBL. XXXIII.

Verba præcedentia formam consecrationis Panis ab illâ particulâ, Qui pridie quam pateretur, necessario prærequiruntur ad formæ valorem.

218 **S**UPpono, requiri quatuor has voces: (de quo sect. 1.) *Hoc est corpus meum*, ad essentialiam consecrationis & per consequens ad essentialiam formæ Sacramenti. Quapropter ab omnibus Evangelistis, & à Paulo 1. Cor. 11. dum institutionem huius Sacramenti commemorant, sunt diligenter obseruata. Quæstio an præter hæc requirantur essentialiter ad consecrationem alia verba? Verba præcedentia formam panis ab illo loco: *Qui pridie, quam pateretur, &c.* quamvis non sint essentialia formæ, necessario tamen ad valorem formæ prærequiruntur. Quia illis non præmissis, non significaretur sufficienter verba sequentia in Christi persona proferri: nec illud pronomen *Meum* ad corpus Christi, sed ad corpus ipsius Sacerdotis loquentis referretur. Igitur ut constet sermonem esse de corpore Christi, necessarium est, ut id per verba præcedentia manifestetur. Sic Sotus in 4. dist. 8. q. 2. §. de secundo. & alij.

219 Verba præcedentia pronomen *Hoc* non sunt de huius Sacramenti, aut consecrationis necessitate. Quia Concilium Florent. & Patres asserunt, formam huius Sacramenti esse illa Christi verba: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, &c.* Vbi satis indicant hæc verba sufficere sine præcedentibus; nam si requirerentur alia pertinerent ad formam, siquidem concurrerent ut aliquid significans, vel significans clarius præsentiam corporis Christi, sine quibus sequentia non significarent sufficienter Christi præsentiam in hac sententiâ, & per consequens illa quatuor verba duntaxat non essent forma contra Concilia, & Patres. Ita Vasquez distinct. 198. capit. 1. Suarez dist. 59. sect. 2. Bonac. d. 4. q. 3. punct. 1. Cardin. de Lugo d. 11. sect. 3.

E 2

Meri

ESCOBAR
Theol. Moral.
Tom. III. IV.
F. IV.

52 Theologiae Moralis Lib. XX.

220 Merito quidem ferè omnes auctores contra totum insurgunt, cuius fundamentum manifestè laborat infirmitate. Nam ut minister in personâ Christi loquatur, sufficit intentione taliter proferētis verba consecrationis, quæ ut vera sint enunciatiue debent in personâ Christi proferri. Sicut in Tragediâ non est opus, ut qui Regem repræsentat, in actu signato dicat: *Ego loquar in personâ Regis*, vel *Rex ita dixit*; sed absolute loquitur in actu exercito verba Regis, & ab omnib. percipitur, quod illa dicitur nō in suâ sed Regis personâ.

PROBL. XXXIV.

Si loco illius forme: Hoc est corpus meum, diceret: Hæc est caro mea, valida esset, & valida non esset consecratio.

221 Consecratio in hoc casu esset illicita quidem sed valida. Quia Cyprian. *ser. de Can. Dom.* dicit, Dominum his verbis consecrasse: *Hæc est caro mea*. Christus etiam Ioan. 6. inquit, *Caro mea verè est cibus*, & Ecclesia canit, *verbo carnem efficit*. Denum scriptura per eam vocem significat vel totum hominem, ut Ioan. 1. *Et verbum caro factum est*: vel totum corpus hominis, Psal. 139. *Caro mea requiescet in spe*. Sic Henr. Bonac. Valsq. Fag quos refert, & sequitur Dian. p. 5. tr. 14. ref. 76. Consecratio in hoc casu illicita & invalida esset. Quia in rigore caro minus significat, quàm corpus, quod etiam ossa complectitur: ergo sensus substantialiter variatur. Ità Suar. d. 59. sect. 2. Coninch. q. 78. n. 38. Franc. de Lugo de Sacram. l. 4. c. 3. q. 4. n. 25.

222 Cum his opinor, asserens non sufficere, carnem interdum per Synecdochem pro homine, vel pro corpore sumi; in hac enim formâ vis, ac proprietates verborum debet asseruari. Christus Ioan. 6. nō tradebat formam huius Sacramenti, sed eius vsu, quem aptè carnis nomine explicauit quoniam homines carne vesci solent. Cyprianus verò ibi nō consecrationis verba, sed sensum Christi refert, ubi potuit figuratè loqui, cum antea dixisset apertè, Christum consecrasse per hæc verba: *Hoc est corpus meum*. Vnde colligo, hanc formam esse valdè dubiam, & per consequens, grauius delicturum, qui talem gereret mutatione.

PROBL. XXXV.

Verba illa consecrationis Calicis: Noui, & æterni testamenti, usque ad, Remissionem peccatorum, sunt, & non sunt essentialia.

224 Essentialia sunt. Quia ex Ecclesiæ more Sacerdos eodem ritu tenens in manibus Calicem hæc omnia verba profert, & ideo maiusculis caracteribus omnia in Missali annotantur. Et quia in Concil. Colonien. p. 7. c. 14. in Florent. decreto de Sacram. in cap. Cum Martha, de celebr. Missæ. Et in Catechismo Romano, illa omnia verba pro forma ponuntur. Et quia verba illa non sunt necessaria, non apparet, cur magis in consecratione Calicis explicetur sanguinis profusio, quàm in corporis consecratione. Sic D. Thomas q. 78. art. 7. & communiter Thomistæ præferunt antiquiores, quos refert Suar. d. 60. sect. 1. Valsq. d. 198. c. 2.

Essentialia non sunt. Quia cum Paulus, & tres Euangelistæ dogmaticè referant institutionem & consecrationem huius Sacramenti, non est credendum, illos non retulisse formam sufficientem ad illud perficiendum: sed diuersi diuersa omittunt ex prædictis verbis, & quædam omnes: Ergo non sunt omnia de formæ substantiâ. Ita Bonau. Duran. Alenf. & alij, quos sequuntur Suar. & Valsq. citati Fagund. præc. 3. l. 2. c. 7. n. 3. Coninch. q. 78. n. 3. Card. de Lugo d. 11. sect. 4. Reginald. l. 29. n. 61.

Hoc mihi probabilius legenti plures antiquorum liturgias per sanctissimos viros dispositas, quæ habentur in Bibliot. Patrum, & sunt in usu magnæ partis Ecclesiæ, nimirum Grecorum, Æthyopum Mozarabum Moranitarum per sedè Apostolicam tolerato. Hæc quidem non habent pro formâ consecrationis Calicis omnia verba, quæ nos proferimus, sed quædam omittunt, ferè singule diuersa, solumque constanter retinent, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel *Hic est Sanguis meus*. Quis autem audeat dicere, sanctissimos Ecclesiæ Patres essentialia consecrationis formam ignorasse, tam multâque Provincias vero sacrificio per tot sæcula, & nunc etiam caruisse.

PROBL. XXXVI.

Christus in consecratione Panis vsus fuit, & non fuit vsus particulâ, Enim.

Christus Dominus vsus non fuit particulâ, Enim. Quia creditur ex Patrum traditione, illam fuisse ab Apostolo Petro appositam. Sic Fagund. præc. 3. d. 2. num. 17. Henric. lib. 8. cap. 16. Bonac. d. 4. q. 3. pun. 1. n. 9. Villalob. tr. 7. diff. 12. n. 3. Gauant. in Rubr. Missal. p. 2. tit. 8. n. 5.

Christus Dominus vsus fuit particulâ Enim in consecratione Panis. Quia hæc particula expressè apposita fuit ab Euangelistâ Mattheo in formâ Calicis: ergo colligitur dictam etiam fuisse à Christo Domino in formâ Panis. Patet; nam Christus Dominus vsus est hæc particulâ ad continuandum sermonem, & verba formæ cum verbis præcedentibus; dixerat enim: *Accipite, & bibite ex eo omnes: Hic est enim Calix Sanguinis mei*. At ante consecrationem panis dixit: *Accipite, & comedite*. Ergo ad continuandum sermonem, & verba formæ debuit similiter uti illo verbo: Enim, fatus: *Hoc est enim corpus meum*. Ità Suar. d. 59. sect. 1. Granad. tr. 8. d. 3. n. 4. & 6. Montefin. in manuscr. d. 12. q. 4. Laynt. l. 5. tract. 4. c. 3. n. 2.

Hanc sententiam probabiliorē admodum esse reor, dum Canonem Missæ recolo, in quo nil falsi continetur, ut Trident. sess. 22. cap. 4. & can. 6. affirmat. Dicitur autem in Canone Missæ: *Benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens: Accipite, & manducate, Hoc est enim corpus meum*.

PROBL. XXXVII.

Peccatum mortale est, & peccatum mortale non est, particulam Enim, cum consecratur Panis, vel Vinum, omittere.

Est peccatum mortale. Quia licet illud Enim non sit de essentiâ consecrationis, tamen in re graui violatur Ecclesiæ consuetudo Christum Domini

Sectio II. De Eucharistiâ, Problemata. 53

Dominum hac particulâ in consecratione vsum.
 Sic Gabr. in 4. d. 8. q. 3. concl. 2. & lect. 38. in Can.
 Fagund. præc. 3. l. 2. c. 6. n. 2. & 17. Valq. d. 199. c. 4.
 n. 29. Holcot. in 4. q. 3. Ioan. de la Cruz de Euch.
 q. 78. concl. 2. dub. 1. Suar. d. 59. sect. 3.

Peccatum mortale non est, sed tantum veniale.
 Quia omisso particulâ. Enim est quidam leue;
 ergo leue erit piaculum, illam omittente. Ita Castr.
 Pal. in 4. tr. 2. p. 7. n. 1. Dicastil. d. 3. dub. 5. &
 dub. 7. n. 14. Diana p. 10. tr. 16. resol. 3. 1. Hurt. d. 3.
 diff. 7. Henric. l. 8. c. 16. n. 4.

Sub distinctione respondeo. Si particula Enim
 ex contemptu formaliter est se directè oppo-
 nitur quia contemptus formaliter est se directè oppo-
 nitur Superioris præcepto, quod lethale est. Si ve-
 rò omittitur ex contemptu materiali, nepe quia
 non est lethale crimen, aliquid præceptum leue
 omittente ex contemptu, ratione cuius non vult
 quis seruare legem in materiâ leui, quia leuis est.

PROBL. XXXVIII.

*Valet, & non valet consecratio his verbis
 facta: Hic est Calix, nouum testa-
 mentum in meo sanguine.*

Non valet consecratio. Quia profus est con-
 traria Ecclesiæ præscriptionem imitantis for-
 mam à Christo D. in Calicis consecratione ex-
 pressam. Sic nonnulli, quos pressio nomine refert
 Suar. d. 60. sect. 2. quorum sententiam ipse inuit
 esse probabilem.

Valet equidem. Quia hanc formam verborum
 D. Lucas c. 22. & Paulus 1. Cor. 1. 1. expressere. Ita
 Henric. l. 8. c. 17. n. 3. Suar. citat. Fagund. præc. 3.
 l. 2. c. 7. n. 7. Hurtad. d. 3. diff. 3.

Hoc certissimum esse reos, sciens, Hispaniâ hac
 diu vltimâ fuisse consecrati Calicis ratione in Mis-
 siali Mozarabo edito à D. Isidoro Hispal. Archie-
 piscopo. Vnde si quis hodie præfatis verbis vte-
 retur, consecraretur quidem, sed grauiter delinque-
 ret, quia talis consecrandi ratio iam est omnino
 expuncta.

CAPVT XIII.

Circa suscipientes Eucharistiâ.

PROBL. XXXIX.

*Infantes sunt, & non sunt suscipienda
 Eucharistiâ capaces.*

QVOR de Paruulis, qui nondum
 rationis vsum attingerunt. Hi quidem
 capaces non sunt. Nam ad hoc Sa-
 cramentum cum fructu recipiendum
 requiritur, vt homo probet se ipsum, & sic de pane
 illo edat. Quod Infans præstare non potest. Et
 quia cum Eucharistiâ fructus instat nutritionis
 ad instaurandas partes actione caloris naturalis
 deperditas, ordinetur, non potest paruulus conue-
 nire, quod nihil spirituale post baptismi regenera-
 tionem amittere, quod per nutritionem spiritua-
 lem debeat instaurari. Sic Palud. Alenf. Caietan. &
 alij, quos refert Vasq. d. 2. c. 2.

Capaces planè sunt. Quia Paruuli capaces alio-
 Ezech. & Mend. Theol. Moral. T. III.

rum Sacramentorum existunt, ad quorum effe-
 ctum magis videbatur requiri rationis vsum, quàm
 ad Eucharistiâ. Matrimonium quidem recipere
 non possunt, quia eius materia est contractus
 humanus qui sine rationis vfu geri non potest.
 Penitentiam, & Extremam vñtionem recipere
 non valent, quia nondum potuerunt peccata com-
 mittere, quorum maculis, vel reliquiis tollendis
 hæc Sacramenta destinantur. Alia verò Sacramen-
 ta, nempe Ordinis Confirmationis, que possunt
 valide recipere. Ergo & hoc, quod ad nutritio-
 nem, & augmentum gratiæ: quod præsupponit
 duntaxat generationem & vitam spiritualement per
 baptismum acceptam, ordinatur. Ita Vasq. citat.
 Suar. d. 62. sect. 4. Filliuc. tr. 4. n. 185. Coninch. q.
 80. n. 77. Card. Lugo d. 13. sect. 2. Henr. l. 8. c. 42.

Hanc sententiam magis approbo, quàm à po-
 steriori confirmo. Vfus Ecclesiæ antiquus dandi
 paruulis Eucharistiâ, satis apertè testatur, ex in-
 stitutione diuinâ capaces esse Paruulos Eucharis-
 tici fructus: alioquin enim talis vsum extitisset
 illicitus, sicut illicitum est Eucharistiâ præbere
 Cathecumeno, vel homini mortuo, vel bruto;

quia Sacramentum effectu suo defraudatur. Sup-
 ponebant ergo Patres antiqui paruulos esse fructus
 huius Sacramenti capaces. Porro fuisse ta-
 lem in Ecclesiâ morem testatur Concil. Toletan.
 11. can. 11. Carechism. Roman. p. 2. de Euch. §. 62.
 Trident. sess. 21. c. 4. dicens, sanctissimos illos Pa-
 tres sui facti probabilem causam temporis ratione
 habuisse, nimirum, quia cum numerus fidelium
 esset minor, & deuotio maior: poruerunt vitari
 facilius incommoda, quæ nunc præponderant
 vtilitati Paruulorum, quando numerus fidelium
 est maior, ac deuotio minor.

PROBL. XL.

*Neophyti, Energumeni, & Neophyti mox
 post conuersionem, sunt, & non sunt
 Eucharistiâ recipienda capaces.*

Vidimus sect. 1. coeleste alimentum dandum
 rusticis Æthiopibus, & similibus semisartis
 petentibus, quando citra periculum irreuerentiæ
 postulant communionem, ex quâ censentur vti-
 litatem percipere. Ministranda Religiosis, qui
 præ senio delirare ceperunt, sed adhuc retinent
 reuerentiam erga Sacramentum venerabile, &
 aliquem vsum rationis. Quæserim, tùm eadem
 Ecclesiæ pietate Neophytis, & Energumenis sit
 ministranda? Minimè. Quia olim a negabatur
 communio Energumenis, quod quasi publici
 peccatores reputarentur: & Neophytis, ne non
 satis instructi in rebus fidei; aliqua irreuerentiâ
 cibum sacramentum violarent. Sic Dionys. de Ec-
 clef. Hierarch. c. 3. p. 2. Conc. Eluicit. c. 29. Pa-
 lud. in 4. dist. 8. Syluest. Euchar. 3. q. 5. casu 10.

Ministranda est eis Eucharistiâ, Energumenis
 quidem Quia hominem à dæmone possideri non
 est culpa, sed pœna, quæ non reddit illum Eucha-
 ristia incapax: immò nec indignum communio-
 ne nec tales alicubi simpliciter illa prohibentur.
 Ita Prosp. l. 4. de præd. c. 6. & Conc. Arausica. 1.
 can. 14. D. Thom. Sotus, Bonacin. apud Franc. de
 Lug. de Satr. l. 4. c. 4. n. 22. Suar. d. 69. sect. 2. Vasq.
 d. 212. c. 4. Neophytis verò. Quia sufficienter vi-
 detur esse ad communionem præparatus, qui per
 Baptismum recepit remissionem omnium pecca-
 torum

ESCOBAR
 Theol. Moral.
 Tom. II. IV.
 E. IV.